


Thomas Lindemann

**Rector Academiae Rostochiensis Thomas Lindeman I.U.D. & Professor. Ad  
Funebrem deductionem Quam Vir ... Wienhold Gerdes Civis huius Reipub.  
primarius Centumvir & Aedis Marianae praefectus. Coniugi suae ... Emerentiae  
Prengers paratas expetit. Omnes omnium ordinum cives Academicos officiose  
invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772089256>

Druck Freier  Zugang




Lindeman, T.,  
in  
**E. Prenger.**

Rostock. 1632.

31







RECTOR  
Academiae Rostochiensis  
THOMAS LINDEMAN  
J. U. D. & Professor.

*Ad*  
Funebrem deductionem

*Quam*  
*Vir Praestantissimus & Spectatissimus*  
WIENHOLD  
GENDES  
Civis hujus Reipub. primarius Cen-  
tumvir & Aedis MARIANAE præ-  
fectus.

*Conjugi suae mellitissimae*


*Matronae Honestissimae*

EMERENTIAE  
PANGENS

paratas expetit.



*Omnes annuum ordinum civos Academi-  
ces officiose invitatur.*



ROSTOCHI

JOACHIMI PEDANI Acad. Typo  
ANNO M., DC. XXXII.



RECTOR  
Academix Rostochiensis  
THOMAS LINDEMAN  
J. U. D. & P. P.

**R**OMANORUM legatis  
percontantibus, Quo jure  
& modo Clusium Etrurix  
oppidum occupatum esset,  
Brennus Senonum Rex  
Naturali, respondit, quo  
debilior valentiori cedere  
cogitur. Idem juris Mors in humanum genus  
sine discrimine grassans, sibi vindicat: non qui-  
dem Potestate sibi competente, sed *δυνάμει τῆ νό-  
μου* omnes peccantes reatu obligante, simulque  
pœnis addicente. Mors enim teste Paulo, *ὁ φωνί-  
ον τῆς ἀμαρτίας* Ad Rom. 6. v. ult. Et *κέντερον τῆ ἁμαρτίας ἢ  
ἀμαρτία*. I. Cor. 15. Et Lex dicta est hominibus ut  
semel moriantur. Quod etiam gentiles agnove-  
runt luce Naturæ & experientia edocti, dum  
hominem imbecillitatis imaginem, temporis  
spolium, fortunæ ludibrium, appellant. Et Epi-  
curus Philosophus, licet voluptati adulari vi-  
dere

deretur, tamen tandem in hæc verba erupit,  
Adversus reliqua quidem omnia tutum & mu-  
nitum aliquid reperiri potest, ast adversus mor-  
tem omnia intuta sunt. Nullus enim tam ro-  
bustus, nullus vernantis juventæ flos tam vege-  
tus, nulla generis Claritas tam excellens, quam  
non carnifex fatum, & implacabilis Mors pes-  
fundet. Non opus est ad id demonstrandum e-  
pulis intermiscere hominis mortui simula-  
chrum, nec præferre sceleton; Funera id osten-  
dunt, quæ quotidie densari videmus, Præterita  
septimana duas matronas honestissimas ad dor-  
mitorium deduximus, tertia easdem hodie sub-  
sequitur lectissima & mellitissima Matrona  
*Emerentia Prengers*. Hæ tres Matronæ in Epi-  
charmi convivio convenisse videntur, in quo  
de mortis incertâ horâ discursibus institutis, u-  
no quinquenniū, alio quadrienniū, alio trien-  
nium vitæ suæ adijci optante, Epicharmus col-  
loquium hoc Epiphonemate clausit; Quotquot  
hic convenimus, fati lege morti propinqui su-  
mus, adeoq; tempus est ocius hinc migrandi,  
Tres, inquam, Matronæ ex compacto quasi sub  
Novi Anni ingressum, viam universæ carnis  
ingressæ, in cœlestem patriam properarunt.  
Nata est autem pie defuncta *Emerentia Prengers*,



gers. Anno 1585. 20. Octobris Parentibus honestissimis, Patre viro spectatissimo *Hinrico Prengers*. Cive hujus urbis primario, Matre matrona honestissima *Margareta von Keden*. Nobili Rediorum familia oriunda, Avum laudavit virum præclarum *Hinrich Prengers* Westphallio sanguine cretum, virum candidum & sincerum, nostri ordinis patronum singularem, aviam paternam *Gertrudam Ersedes* Senatoris filiam, Avum paternum virum Nobilem & strenuum *Ulricum von Keden* cujus familia & propago in verdensi Episcopatu & Ducatu Brunovicensi celebris est; Aviam Maternam habuit *Annam Bullenbrokes* Civis primarij filiam. Ab hisce parentibus <sup>ut anglicis</sup> nostra, à primis quod dicitur unguiculis, ad pietatem, castitatem & pudicitiam efformata, vitam instituit verè virginalem, non more virginum Perficarū in congressibus juvenum, sed Exemplo Helcanæ, Paulinæ & Demetriadis, perpetuis laboribus isti sexui convenientibus se oblectavit; in quibus ita excelluit, ut non opus esset, eam nubilem, loco moniti sponsalitiij, more Romanorum fuso & colo donare, postesve maritales lana coronare, Probe enim hæc omnia edocta nulli suæ ætatis virgini cessit. Unde à viro præstantissimo

*Wein-*

*Weinholdo Gerdes* Consultissimi viri Dn. *Martini Gerdes* *J Cti* Celeberrimi consulis & Syndici *Gustroviensis*, filio, & Magnifici Amplissimi consultissimorum virorū *Christophori* Consulis *Lubecensis* & *Martini Gerdes* Archiepiscopi *Bremensis* Consiliarij *J Cti*, nec non *Joannis J. D.* & Advocato *Areopagi Megapolitani*, fratre, adamata, ei q; 14. Maij Anno. 1610. matrimonio felici juncta est, cum quo totos 22. annos concordi. tranquillo, pacato & fecundo connubio vixit, eum q; trium liberorum patrem fecit, unius filij & duarum filiarum, quæ filia tenera ætate hujus mundi amurcam fastidientes, beatorum consortium appetiverunt, eo q; potitæ sunt, filio unico superstite, in quo ad virtutem informando piè defuncta omnes ingenij vires exemplo *Aureliæ Cæsaris*, & *Actiæ Augusti* matrum, intendit. Merito enim eò nomine à *Cornelio Tacito* commendantur Romani, quod si cui filius ingenuus natus esset, is non in schola emptæ nutricis, sed in gremio ac sinu Matris educaretur, cujus præcipua laus erat, domum rueri & liberis inservire. In hac animorum conjunctione faciles decurrebant anni. Unde quod Romani à *Caja Tanaquil* foemina *Errusca Tarquinij* prisca uxore ad singularem


conjugalem amorem, in festivitatibus Nuptialibus demonstrandum mutuabantur, se invicem his verbis compellando; ubi tu Cajus ibi ego Caja, in hoc conjugio usurpare vel thalassionem acclamare necesse haud fuerit? Norat accurare piè defuncta officij sui munia obire; Proinde unus inter hos conjuges animo, unum cor. Verum uti nihil in hac vita stabile, nihil diuturnum, sed omne creatum continuis mutationibus quasi Euripis, Justiniano & Leone Imperatoribus testibus, obnoxium, ita felicitas hæcce dulcissimarum animarum ingentem experta est syrrixin. Ipfis enim Kalendis Januarijs quibus Gentiles juxta ac Christiani vota sibi invicem nuncupare solebant, *evangelium* nostra templo domū rediens, marito febrile affectū denunciat, Quo is consternatus non quidē ad fanū Orbonæ vel Febris vel malæ fortunæ, aliasq; in febris cura anuū edentularum præstigias se convertit, sed medicos in Consilium adhibuit alexipharmaca secundum istam artem convenientia applicuit, sed vicit vis morbi & vires defunctæ intra paucos dies ita fregit, ut illa lasa curis, fessa de via, defatigata cursu ex hoc fordido brevissimæ commoratus in tuguriolo in patriam cœlestem properaret; nec cum Lothi

thi c onjuge. Sodomam in via respexit, sed recta in ca-  
leste Segor contendens: medico animæ accito, animam  
fide & spe in Christum obfirmavit, ejusdemq; vivifico  
fanguine & corpore refocillatâ, erectâ & armatâ placido  
velut somno affopitâ, II. Jan. A. 1632 Immanueli Christo  
reddidit. Lugent hunc casum merito Maritus, filius, o-  
mnesq; cognati. Non enim dolor est major, quam cum  
violentia mortis, unanimi solvit corda ligata fide. Sed  
luctum merito temperant instar nepenthes Homerici,  
tempora præsentia, quibus circumdamur, calamitates  
quibus premimur, quæ tantum abest mortuos flere nos  
jubeant, ut felicitatem qua fruuntur illis invidere ve-  
tent, & potius eandem viam calcandi desiderium nobis  
inculcent. Ita enim nobiscum comparatum est, ut si cra-  
stinum adjecerit DEUS, grati recipiamus, & securus sui  
possessor reputetur, qui sine sollicitudine crastinum ex-  
spectat, caute laq; sit salutaris sic ordinare diem omnem,  
tanquam cogat agmen ac vitam expleat. Ilud Josias  
pœnitentiam agens monitu Helciæ hoc obtinet à DEO  
gratiæ quod ante imminetia mala placidè ex hac mi-  
feria sibi excedere liceret, idq; pro magno reputatum  
est beneficio 2. Reg. 27. Siquidem vita est confusionum  
vallis, carcer afflictionis, perpetua peregrinatio, pericu-  
losa navigatio, mala mansio. Mors vero è contra acce-  
leratio glorificationis, diruptio carceris, peregrinatio-  
nis finis. Quò respicientes Brachmanes & Gymnoso-  
phistæ vitam conceptionem, mortem vero Nativita-  
tem hominis dicebant. Et Epaminondas Mortem, vi-  
tæ suæ initium fore gloriabatur. Cum itaq; per mor-  
tem morti erepta, vitæ restituta, stola candida amicta  
Emerentia nostra, in cœtu beatorum, nunc tripudiet,  
maritus

maritus ei jungi potius, quam huc eam revocare lachry-  
mis vovebit. Exuvijs tamen defunctorum honos &  
gratia debetur, cui debito exsolvendo varias paren-  
tationum, & exequiarum pompas Ehtnici excogita-  
runt. Democritus vero sacris Lemuribus improbatis,  
rogoq; abolito, melle putredinem arcente, defuncto-  
rum corpora asservabat. Piè defuncta, nec mel, nec  
præficas, nec corollas, nec nœnias, sed decentes exe-  
quias à vobis postulat; Easq; ut exsolvatis cum pietas  
& condolentia, tum mariti mœstissimi familia graviter  
vos monent, Clarent enim & summa juris scientia, ac  
dignitate pollent in ea, non tantum dicti fratres tres  
Doctores, sed & affines viri consultissimi *Johannes* ab  
*Hille Ducis Saxoniae consiliarius, & advocatus solertis-*  
*simus, nec non L. Licenciatus Laurentius Schröder ac*  
*Jacobus Sturxius omnes Isti,* adeò ut familia hæcce quod  
Appia Romana, omnes ex eâ prognatos juris gnaros  
gloriabatur, de se prædicare queat. Concurrît itaque  
Cives Academici, Exequias piè & frequentes agite, ad  
horam mediam primam in templo Mariano agmina-  
tim confluite, mortem opinione citius adrepentem i-  
mo advolantem præparato animo excipite. Mors cer-  
ta est, incerta dies, hora cognita, nulli Extremam qua-  
re quamlibet esse puta, Et cum totius Germanicæ de-  
flagratio cotidie nostris obversetur oculis; Ideo justis-  
simum *Iehovam* ob peccata nostra excandescentem, pre-  
cibus ardentibus orate, ut excessibus nostris ignoscat,  
incendium præsens exstinguat, Exoptatâ pace nos be-  
et, Patronos nostros clementissimos & benignissimos  
fortiter uti hæctenus, ita posthac defendat, ac protegat.  
P. P. 16. Januarij. Anno 1632.

1632











*W*einboldo *Gerdes* Consultissimi  
*ini Gerdes* *f* *Cti* Celeberrimi cons  
ci *Gustroviensis*, filio, & Magnific  
consultissimorum virorū *Christop*  
*Lubecensis* & *Martini Gerdes* *A*  
*Bremensis* Consiliarij *f* *Ctis*, nec n  
D. & Advocato Areopagi Megapol  
adamata, ei q; 14. Maij Anno. 1610  
felici juncta est, cum quo totos 2  
cordi. tranquillo, pacato & fœc  
bio vixit, eum q; trium liberorum  
unius filij & duarum filiarum, qu  
ætate hujus mundi amurcam fasti  
rorum consortium appetiverunt  
sunt, filio unico superstite, in quo  
informando piè defuncta omnes  
exemplo *Aureliæ Cæsaris*, & *A*  
matrum, intendit. Merito enim  
*Cornelio Tacito* commendant  
quod si cui filius ingenuus natus e  
schola emptæ nutricis, sed in gr  
Matris educaretur, cujus præcip  
domum tueri & liberis inserviri  
morum conjunctione faciles decu  
Unde quod *Romani* à *Caja Tana*  
*Errusca Tarquinij* prisci uxore a

A 3

